

NVMMVS MEMORIAE DICATVS
STATUUM CONFOEDERATO-
 rum Provinciarum Belgij: cufus in testimonium
 benevoli, erga Imperium, animi:
 Anno Chrifti 1590.



Um aliquot annis tam Regis, quam ordinum milites, continuis excursionibus suis Principum vicinorum Provincias essent depopulati, circulus Westphaliae, & inferiorum Provinciarum, multum apud Imperij Principes de hac injuriâ conquestus fuit. Quare initio Junij conventus habitus est Coloniae: sed nihil conclusum, nisi Imperij principes, maximè vero Electorem Moguntinensem rogandum: ut conventum in aliqua Civitatum Imperialium indicere velit. Morâ, dum id fieret, non exiguâ intercurrente Moguntinus, Palatinus, Juliacenſis, & Westphali cum cæteris inferioris Rheni Principibus, legatos suos Bruxellas primò ad Parmensem, deinde ad Ordines Belgicos miserunt: qui in Holandiam venientes, & ad colloquium admissi, quod in mandatis haberent, exposuerunt. Principes namque suos pro veteri amicitia petere, ut utraque pars, tam Rex, quam ordines reddant oppida, arces, & propugnacula, quæ in Rheni utraque ripâ, & in solo Imperii Romani subdito, vel occuparant hætenus, vel ipsi extruxerant. Imperium enim quotidianis præſidiariorum excursionibus damnâ cladesque intolerandas accipere. Ad hæc Ordines responderunt (de Parmensis quippe responso non satis constat) quod licet durante hoc bello digna indignaque perpeſſi ſint, ſibi tamen priſtina illa indoles, & innata bonitas remanſerit, ut nihil ſibi gratius atque antiquius ſit, quam cum vicinis Principibus amicitiam colere. Hinc valde moleſtum eſſe ordinibus, ſe malè audire & inſimulari, quaſi ſint ij, qui pacem tranquillitatemq; priſtinam turbarint: cum nō niſi extrema neceſſitate compulſi arma, ſumpſerint. Se inſuper neque occaſiones ullas dediffe, neque mandaſſe, neque permiſſe, ut vicinorum Principum regiones à ſuis infeſtarentur: contrarium enim & mandata publica, & de prævaricatoribus ſumpta teſtariſupplicia. Hoſtes autem ſuos Hiſpanos diverſis locis Imperio ſubditis ad Rhenum oppida & munitiones occupaſſe, & adhuc occupare: non ut ſe defendant,